

Papsturkunden in Frankreich. Band 5: Touraine, Anjou, Maine und Bretagne., Nr. 223

Urbanus episcopus seruus seruorum Dei. Dil(ectis) filiis Herueo abbati beati Martini Maioris Monasterii eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem uitam professis imperpetuum. Cum uniuersis catholice etc. In quibus hec propriis duximus exprimenda uocabulis: in episcopatu Andeg(auensi) ecclesias de Reilleio, ecclesiam de Boceio, obedienciam de Besseio cum pertinentiis suis, ecclesiam de Dalmariaco, ecclesiam de Bosseio, obedienciam sancti Egidii de Viridario in urbe Andeg(auensi) sitam cum pertinentiis suis, ecclesiam de Vere, ecclesiam sancte Marie Magdalene, ecclesiam sancti Albini de Pouenceio, ecclesias de Camill(iaco) sancte Marie, sancti Petri, sancti Steph(ani), sancti Egidii, sancti Christofori et sancti Licinii et quod habetis in ecclesia sancti Leonardi, obedienciam Montis Iohannis cum ecclesia de Pomeria ceterisque ecclesiis et aliis pertinentiis suis, obedienciam de sancto Quintino cum ecclesia eiusdem loci et aliis pertinentiis suis, obedienciam sancti Uincentii de Calu(m)pna cum pertinentiis suis. In parrochialibus uero ecclesiis, quas tenetis, presbiteros eligatis, quibus, si ydonei fuerint, episcopi parrochie curam committant, ut huiusmodi sacerdotes de plebis quidem cura episcopo rationem, uobis autem pro rebus temporalibus debitam subiectionem exhibeant. Interdicimus etiam, ne quis eiusdem loci monachos in aliquam ecclesiam ad stacionem aut exequias celebrandas sine ipsius et abbatis uoluntate compellat. Adicientes et precipientes, ne quisquam deinceps archiepiscopus aut episcopus monasterium sancti Martini Maioris Monasterii aut ipsius Maioris Monasterii monachos pro ulla causa ullo in loco excommunicare presumat, sed omnis eorum causa grauior ex apostolice sedis iudicio pendeat. Nec cellarum uestrarum ubilibet positarum fratres pro qualibet interdictione uel excommunicatione diuinorum officiorum suspensionem paciantur, sed tam monachi quam et famuli eorum et, qui se monastice professioni deuouerunt, clausis ecclesiarum ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non admissis diocesanis diuine seruitutis officia celebrent et sepulture debita peragant. Ad hec adicimus, ut idem beati Martini monasterium ab omnium mortalium subiectione liberum domino annuente permaneat solique Romane ecclesie subditum de tanta libertate atque auctoritate congaudeat. Preterea sub interminacione anathematis prohibemus, ne laicus a uobis decimas exigere uel extorquere presumat. Confirmamus etiam uobis uniuersa, que per autentica predecessorum nostrorum Romanorum pontificum priuilegia confirmata sunt et a uobis sine questione tenentur. Decernimus ergo etc., salua sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur etc. Cunctis autem etc. Amen. Amen.